SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO

SELECTAS HASCE PROPOSITIONES

PHILOSOPHICO-THEOLOGICAS

Humillime conſecrat, obſequentiſſimus Subditus

JANUS BAPTISTA GENTILI ORFINI

PATRITIUS FULGINAS

Apud Clericos Regulares S. Paulli vulgo Barnabitas

SUB INSTITUTIONE

P. D. JANI PAULLI SASSI AUDITOR.

FULGINIÆ, MDCCXLVII.

Excudebat Pompejus Campana Typogr. Epiſc. & Publ.

SUPERIORUM FACULTATE.

Digitized by Google

Digitized by Google



Romae ex Chalcographia R. C. A. apud Pedem Marmoreum

Digitized by Google

Digitized by Google

SANCTISSIMO DOMINO NOSTRO

BENEDICTO XIV.

PONTIFICI OPTIMO MAXIMO.

JANUS BAPTISTA GENTILI ORſINI

FELICITATEM.

QUae duo in Optimo totius Orbis Pastore, & Egregio Principe, *impenſis populorum omnium votis*, Beatissime Pater, *quammaxime deſideranda ſunt*, *inſignis nimirum Sapientia*, & *ubique gentium laudata Clemen-*

Digitized by Google

mentia; haec in TE UNO, *qui Sapientiam cum Comitate, & cum Majeſtate Clementiam ad miraculum conjungis, tam ingenti ſplendore coruſcant, ut noſtra iſta aetate ad omnium ſaeculorum obruendam gloriam, & famam, chriſtianis gentibus Divinitus datus eſſe videaris. Tam igitur novam, inauditamque Sapientiam, tam Sapientem, inuſitatamque Clementiam, debebat ne Civitas iſta, ſingularibus Beneficiis Tuis cumulata, tacita in aevum praeterire? Injuſti ſilentii importunas inducias frangere ipſemet,* BEATISSIME PATER, *omnium primus auſus ſum, non quod eximium aliquod opus* SANCTITATI TUAE *me offerre poſſe conſiderem, ſed quod Tua Humanitas erga illos, qui bonarum artium, & ſcientiarum ſtudiis operam navant tanta ſit, ut illa eorum animi ad difficillimos labores in Eccleſiae Catholicae commodum, utilitatemque perferendos, mirum in modum alliciantur. En quid cauſſae fuit,* BEATISSIME PATER, *cur labente ſtudiorum meorum curriculo, illorum fructus* SANCTITATI TUAE *venerabundus nuncuparem, Philoſophicas, Theologicaſque Propoſitiones iſtas Clariſſimo* NOMINI TUO *demiſſiſſime, atque ſubiectiſſime inſcribendo; audacius certe, quam opuſculi tenuitas ſibi videretur promereri: At cum nihil aliud in me ſit, quo feliciſſimae ſubiectionis meae argumenta* SANCTITATI TUAE *exhiberem, quove ſtudia mea in Barnabitarum Congregationem, qua & ad pietatem, & ad ſcien-*

tias

tias formatus ſum, gratus oſtenderem, in eam inquam Congregationem, quam Tu Perfectiſſimus eruditorum, ac proborum hominum Judex, & Cognitor, ad inſtituendos juvenes in celeberrimo Bononienſi Seminario prae omnibus elegiſti; conſiliis meis pro virium imbecillitate, ſatis me facturum putavi, ſi pauculas iſtas paginas, Tuo dumtaxat Nomine conſpicuas, in lucem proderem; id unum ſupplicibus votis enixe rogans, ut ſuaviſſima Fronte, qua leviora, & minima ſoles excipere, exiguum hoc opus, quodcumque illud ſit, intueri minime dedigneris; & me in Religionis bonum, atque incrementum SANCTITATI TUAE innumeros annos auſpicantem, & ad Solium Tuum pene divinum quam humillime provolutum, Sanctiſſimos Pedes deoſculantem, Apoſtolica Benedictione proſequaris.

Digitized by Google

Digitized by Google

PROPOSITIONES PHILOSOPHICAE
EX METAPHYSICA.

I.

METaphyſicam, quam *naturalem Theologiam* vocant, & *ſcientiam univerſalem*, quatenus ea omnia perſequitur, quae rebus omnibus communia ſunt, Deo, & creaturis, ſpiritibus, & corporibus, cum aliis vulgo Philoſophis bifariam dividimus. In prima parte, quae dicitur Ontologia, expedita de ente, illiuſque proprietatibus verba facimus; nam eſto entis conceptus clarus, & diſtinctus ſit, & ad obiecti ſcientifici munus fungendum ſatis idoneus; attamen illius cognitio pauculae, aut nullius eſt utilitatis; quamobrem de his, quae ad primas, & univerſaliſſimas cauſſas, & ad principia humanae cognitionis pertinent, uberiorem diſputationem inſtituimus. In ſecunda parte, cui nomen Pneumatologia, quae de ſpiritibus omnibus, & praeſertim de D. O. M. naturali lumine inveſtigari, & demonſtrari poſſunt, ordinatis capitibus enucleanda proponimus.

Digitized by Google

II.

ET ipſo in limine aſſerimus, ideas non eſſe pura figmenta, vel ſimulacra, & veſtigia quaedam obiectorum materialium menti humanae ad ſigillationum inſtar ſuperaddita, ſed eſſe veras ipſius mentis perceptiones, quas etiam in Divina Mente (quantumvis infinito modo) agnovit S. Auguſtinus *lib.* 83. *q.* 48. Hinc apertiſſime decipiuntur, qui intellectionem ab imaginatione non diſtingunt; imaginatio enim rerum materialium eſt, & per impreſſiones in cerebro, ſenſuum occaſione, formatur; verum intellectio pura perceptio eſt, earum praecipue rerum, quae a ſenſuum miniſterio non pendent; ac eapropter non minus differunt imaginatio, & intellectio, ac differant corpus, & animus.

III.

IDearum perfectiſſima natura in eo praecipue reponitur, ut clare, & diſtincte obiecta repraeſentent, illorumque notitiam exhibeant; Hinc operae pretium eſt, ut primario clare, & diſtincte referant ſemetipſas. Ut autem idea vere clara, & diſtincta dici queat, & illam evidentiam pariat, quam celebriores Metaphyſici intuitivam appellant, maxima primum attentio praerequiritur, ne vagae hominum mentes aliis cogitationi-

bus

Digitized by Google

bus a meditatione avertantur. Maxima ſubinde neceſſaria eſt diligentia, qua imbecillioris ingenii defectus corrigantur, qua difficultates meditantibus advenire ſolitae ſuperentur, qua tandem infantiae praejudicia penitus deponantur, & praecipitem aſſenſum praeſtandi pericula devitentur.

I V.

Difficile explicatu eſt, quo pacto mens humana in ſuis cogitationibus a corporis commercio dependeat. Platonicorum expungenda nequaquam videtur opinio, qui ideas ſaltem potiores, & univerſaliores, animis noſtris congenitas agnoverunt. Durior eorum ſententia putanda, qui nihil in intellectu eſſe voluerunt, quin prius fuerit in ſenſu; Denique improbabiliſſimum cenſemus inventum, caeteroquin eruditiſſimi P. Malebranchii, qui mentes humanas omnia videre in Deo eſt arbitratus. Hinc nec Leibnitius, unione praeſtabilita, nec Lochius, mentis per ſenſus excitatione ſuppoſita, tot, tantaſque difficultates, quae ultro ſe ſe offerunt, ſatis enodant. Nemo igitur nos reprehendat, ſi tanto miſterio explicando penitus impares, ad Leges Divinitus conſtitutas libentiſſime confugimus, celebre illud S. Gregorii effatum in hac re uſurpantes, *lib. 31. ſuper Job. cap. 16.*, *caligo noſtrae corruptionis obſcura eſt, eo fere pacto, quo oculi noſtri ad ſolis adſpectum offuſcantur.*

Digitized by Google

V.

IN hoc ſtatu naturae lapſae ſcientiam aliquam extare, ſatis aperte demonſtrat naturale illud ſciendi deſiderium, quo univerſos homines praeditos eſſe, ipſo experimento erudimur. Perfecte ſcientias, proinde Philoſophiam, aſſecutus eſt Adam a Deo per infuſionem, juxta celebre Spiritus Sancti teſtimonium Eccleſiaſtici Cap. 17.: *Cor dedit illis excogitandi, & diſciplina intellectus replevit illos, creavit illi ſapientiam ſpiritus, & ſenſu implevit cor ejus*. At perfecta ſcientia, & rigoroſa, qua concluſiones, quae ex primis principiis deducuntur, & principia ipſa perſpecta habeamus, peccati originalis labe, inſtructi non ſumus; egregie in hac re S. Thomas 2. 2. *q*. 23. *art*. 4.: *Ratio humana in rebus humanis eſt multum deficiens, cujus ſignum eſt, quia Philoſophi de rebus naturali inveſtigatione ſcrutandis in multis errarunt, & ſibi ipſis contraria ſenſerunt*. Extant igitur veritates plurimae, ut inſinuat Auguſtinus in Enchiridio ad Laurentium *num*. 30., quae naturali lumine poſſunt attingi; ſed *veritatis judicium in ſenſibus non eſt*, qui ſub ea ſpecie nobis obiecta proponunt, ſub qua propter externas motiones ipſiſmet ſenſibus conſignantur; per ſe falli, ac fallere neſcii ſunt, non ſic per accidens, & ratione medii, & hac de cauſſa primae regulae nomen ſibi vindicare non valent,

quae,

Digitized by Google

quae, ut Ariſtoteles ait, *cognata* eſſe debet, *certa*, & *generalis*: Veritas quippe talis indolis eſt, ut quaſi per vim aſſenſum a nobis extorqueat, quando videlicet clare, & diſtincte humanis mentibus apparet; Hinc tanquam univerſale naturalis veritatis principium, & criterium hoc ipſum admittimus; *Quicquid in idea rei clare, & diſtincte conſpicitur, de illa utique poteſt affirmari, vel negari*; nec inde ſequitur, idem obiectum ſub diverſo medio, & notione, in eodem intellectu aſſenſum ſcientiae, opinionis, & fidei parere non poſſe, quem nequaquam gigneret, ſi ſub eodem medio, & notione proponeretur. Abſit profecto nos impiis Socinianorum dogmatibus aſſentiri, dum affirmamus, Fidem Divinam cum naturali ratione nequaquam pugnare; *verum* ſiquidem, ut inquit Innocentius III., *vero nunquam opponitur*; duo etenim admodum diverſa ſunt, obiectum eſſe ſupra, & eſſe contra rationem: Chriſtianae Religionis Divinitus revelatae, humana ratio (ut Socinianis placet) judicium ſibi nequicquam uſurpat. Caeterum in veritatibus naturalibus perſequendis, ea quae menti exhibentur, non ſecus ac ſi dubia forent, ſunt perpendenda; nam ut optime inquit S. Thomas 3. Metaph. ſect. 1. *Illi, qui volunt veritatem inquirere, veritatem non conſiderando, aſſimilantur illis, qui neſciunt quo vadant*.

EX

Digitized by Google

VI.

IDeam ſupremi Numinis hominibus quibuſcumque ab ipſomet univerſorum Auctore inditam fuiſſe, habemus apud S. Johannem, & Paullum, & multis oſtendit momentis S. Auguſtinus *lib.* 1. *de doctrina chriſtiana*, *lib.* 11., *de libero arbitrio cap.* 12., & alibi paſſim, cui conſonant Hieronymus, Origenes, Juſtinus, Euſebius, Tertullianus; quicquid in contrarium effutiant Socinus, Smarcius, Crellius, & omnes generatim Sociniani; Ejuſmodi etenim ideae argumento mirum in modum revincuntur Epicurus, Lucretius, Spinoſa, caeterique omnes (ut appoſite obſervant Iveninus, & Turnelius) Dei exiſtentiam negantes. Verum ad Atheorum ſophiſmata pleniſſime confundenda, perſpicua non deſunt fundamenta; tum phyſica ex rerum eventibus, motu, & ſerie cauſſarum; cum moralia ex creatione, conſervatione hominis, ex univerſi ordine, & gubernatione, ac tandem ex communi univerſarum gentium, ſenſu, & inſtinctu petita, quibus tanta veritas, etiam obluctantibus, & meridianam lucem abhorrentibus fiat perſpectiſſima.

Digitized by Google

VII.

MIracula a vero Deo patrata ad idololatrarum punitionem; ratio *Entis Optimi*, quae *Summi Numinis* eſſentiam conſtituit; apertiſſima ipſorummet idololatrarum falſitas, & amentia, invictiſſime comprobant ejuſdem Numinis unitatem. Manichaeiſmus pariter Polytheiſmo maxime affinis rationi humanae repugnat; malum etenim nihil eſt, ac eapropter nullam ſui cauſſam productricem poteſt admittere; quinimo ſi Deus malus, malum dumtaxat contra Dei boni voluntatem produceret, vel impotens eſſet, vel malignus, & ab Optimitate, qua unice Deus foret, excideret. Deus quem ſomniarunt Audiani, & Spinoſa, ex animo, & materie formatus, minime Deus eſt, cujus ſimplicitas quamcumque compoſitionem excludit; perperam ſimplicitatem iſtam deſtruere tentarunt Abbas Joachim, Gilbertus Porretanus, Gregorius Palamas; quantumvis honeſtiores fuerint, illam Deo non denegantes, Pytagoras, Xenophanes, Plato, & alii ethnicorum philoſophorum innumeri. Simplicitati ſuccedit infinitas, nam, ut ait S. Maximus Martir apud Eutymium *parte* 1. *tit.* 2. *Simplex eſt, quia interminatus, interminatus, quia infinitus*. Infinitatem immenſitas conſequitur, nuperrime a Worſtio, & Wolzogenio, infeliciter oppugnata, immenſitatem immutabilitas, immutabilitatem

tatem Aeternitas, & Omnipotentia; haec autem omnia attributa, ita ſolius Dei propria ſunt, ut ipſis nulla umquam poſſit creatura potiri. Cum Deus Fidelis, & Verax ſit, nec per ſe, nec per alium eſſe poteſt auctor mendacii; nec homines talis naturae condere, ut ſemper fallantur; nec in falſae doctrinae confirmationem miracula patrare, vel permittere, in iis ſaltem circumſtantiis, in quibus prudens, & oculatus ſpectator, quacumque humana diligentia adhibita, detegere nequeat, aut falſam doctrinam a pſeudominiſtro praedicari, aut miraculum in alium finem, quam in falſi dogmatis confirmationem a Deo fuiſſe patratum, vel permiſſum.

VIII.

Cum Deus ille ſit, quo melior excogitari nequit, conſequitur illum eſſe omnia ſcientem, & perfectiſſime praeſcium futurorum. Scientia in Deo multiplex a Theologis diſtinguitur; primo ſpeculativa, & practica, ſecundo libera, & neceſſaria; hiſce autem ſuccedit Scientia ſimplicis intelligentiae, res non exiſtentes, nec unquam extituras reſpiciens, & Scientia viſionis, quae circa res verſatur ſub aliqua differentia temporis extituras, quarum nullae Cognitionem Divinam poſſunt ſubterfugere. Divinae ſcientiae, ac praeſcientiae plenitudinem inficiari non erubuerunt, inter antiquio-

res

Digitized by Google

res Gnoſtici poſt Ciceronem, & inter recentiores Huſſitae, nam illa admiſſa deſtrui putarunt arbitrii humani libertatem; de his pulcherrime Auguſtinus; *ut homines facerent liberos, fecerunt ſacrilegos*. Praeſcius futurorum Deus eſt, quaecumque praeſentia immutabiliter in aeternitate habens; nec eapropter rerum contingentium neceſſitas adſtruenda eſt, aut praeſcientia Divina perfracte deneganda. Deus in ſe ipſo, & in incommutabili rerum intelligibilium ratione, ut monet Auguſtinus *de Trinitate lib.* 15. *cap.* 14., omnia intuetur; an autem humanas actiones in ſcientia media, vel in efficaci ſuae voluntatis decreto proſpiciat, inſignis controverſia eſt apud Theologos. Diſtinguimus nos, cum clarioribus huius aetatis ſcriptoribus ſtatum naturae innocentis, a ſtatu naturae lapſae; pro ſtatu naturae innocentis, ſcientiam mediam admittere non reluctamur, quatenus eſt certa praeſcientia futurorum ordinis naturalis, & ſupernaturalis, abſque ullo decreto praedeterminante; creatura ſiquidem innocens gratiae praedeterminantis auxilio non indigebat: Hinc Deus ipſe in efficaci ſuae voluntatis decreto, Angelorum perſeverantiam non agnovit. Verum pro ſtatu naturae lapſae, cum Deus primum liberum ſit, a quo univerſa reguntur, ut idem affirmat Auguſtinus *de correctione, & gratia capitibus* 10. 11., praemovet utique ad actiones naturales non praedeterminat, indeque ſutura libera ordinis naturalis in effi-

caci

Digitized by Google

caci ſuae voluntatis decreto non videt; Opera tamen ordinis ſupernaturalis praevidet dependenter ab efficacia decreti, ob neceſſitatem gratiae victricis, quae ab humanae voluntatis determinatione in ſui efficientia non pendet, Deus nempe, ut docet Auguſtinus *de praedeſtinatione Sanctorum cap.* 10. *Praedeſtinatione praeſcivit, quae fuerat ipſe facturus.*

IX.

ANtecedenti voluntate *vult Deus omnes homines ſalvos fieri. & ad agnitionem veritatis venire*; ejuſmodi autem Voluntas vera, propria, & ſincera eſt, non metaphorica, & pura *velleitas*; & optime ſervatur, quatenus auxilia ſufficientia proxima, ſint dumtaxat exhibita, nequaquam collata; infantibus etenim Baptiſmo praemortuis, ob peccatum originale, ad Baptiſma ipſum; infidelibus, quod ſint irae filii, & vindictae, ad ſalutarem fidem; obduratis, & excaecatis denique, ob voluntarium ad prava relapſum, & acceptarum gratiarum abuſum, praeparantur haec auxilia, non conferuntur. Electorum Praedeſtinatio fixa, & immutabilis, non ex meritis naturaliter comparandis, non ex praeviſione operum moralium, & fidei, bonae voluntatis arbitrio prodeuntium, ſed unice cauſſam habet a libera Dei Voluntate; ea quidem lege, ut in Divina Praefinitione, Praedeſtinatio ad gloriam

prae-

Digitized by Google

praecedat electionem ad gratiam. Indigna ſunt, & penitus execranda, quae Calvinus, ipſiuſque recentiſſimi ſectatores evulgarunt de poſitiva impiorum reprobatione, illam ſolummodo Divinae Voluntatis libito tribuentes, quae aliquos tum ex Angelis, cum ex hominibus ad aeternum creavit interitum: quamobrem nec eorum arridet opinio, qui exiſtimant, Deum poſt electos praedeſtinatos, eorumque agnitam juſtitiam, reproborum nequitiam praevidiſſe, & ex hujuſmodi praeſcientia, tum abſque meritorum, electos ad gloriam, cum abſque demeritorum intuitu, reprobos ad ſupplicium deſtinaſſe: Demeritum certe aliquod in reprobis ſupponit reprobatio, quantumvis negativa; at hoc quidnam eſt? En Auguſtinus in epiſtola ad Sixtum: *Quid oderat in Eſau, antequam feciſſet aliquid mali? originale peccatum*. Haereſis Praedeſtinatiana, nec in Monaſterio Adrumentino, Auguſtino ſuperſtite, nec in Galliis erupit ſub Celeſtino I., nec a Gotheſcalco Monaco Orbacenſi fuit iterum renovata; quocirca dicendum remanet, purum ſpectrum eſſe, ad terrendos Doctrinae Auguſtinianae cultores architectatum.

An-

Digitized by Google

X,

ANgeli ſubſtantiae ſunt pure ſpiritales, qui Deum inter, & homines medium locum habent, illo inferiores, hiſce ſuperiores; contra Philoſophos antiquiſſimos, eorum exiſtentia rationibus evidentibus, & a priori demonſtrari nequit, non ſic probabilibus, & a poſteriori; at invictiſſima ſe ſe offerunt Scripturae teſtimonia, *Geneſ.* 16. 19. 24. *Exod.* 14. *Numer.* 22. *Math.* 18. *Hebr.* 1., quibus Sadduceorum inſcitia, Angelorum exiſtentiam negantium, clariſſime refellatur. Ante aſpectabilem hunc Orbem Angeli a Deo creati non ſunt, qui tamen in primo creationis inſtanti beatitudinem naturalem, & gratiam, tum actualem, cum ſanctificantem ſunt aſſequti; ſeipſos, alioſque Angelos, res per ſe ſubſiſtentes, & multa ad Deum Optimum Maximum pertinentia cognoſcunt; perſpecta item ſunt illis futura neceſſaria, quae cum cauſſis connexionem habent; non perinde futura contingentia, quae a libero Dei arbitrio originem ducunt, nec intima cordium ſecreta ullo pacto valent proſpicere, nec tandem gratiae miſteria naturali lumine penetrare. Amant Angeli quidem (quantumvis diverſo modo) Deum, ſeipſos, & creaturas; at cum eorum voluntas inflexibilis minime ſit, illorum amor nequaquam naturaliter cenſeri debet immutabilis, Nec definitive, nec circumſcriptive, nec per

pro-

propriam eſſentiam loco praeſentes fiunt; Statuendum igitur, Angelos per operationem dumtaxat locum occupare. Adeſt omnibus ſinguliſque hominibus, improbis, & infidelibus non exceptis, quin etiam Regnis, Provinciis, & Civitatibus Angelus bonus, quo ad virtutem perſuadeantur; propriae autem culpae vertant, ſi Angelorum voce poſthabita, ad mala ſtultiſſime declinent, neque enim malum Angelum habent, quo ad peccata homines provocentur. In primi peccati labem, quod ſuperbia fuit, non mentis ignorantia vel animi perturbatione, ſed propriae voluntatis poteſtate, Angeli nequam prolapſi ſunt; ceciderunt non pauci, ſed major pars in bono perſeveravit.

XI.

ANimae rationalis naturam poſt Deum, & Angelos contemplari fas eſt, ut illâ nos *ad Spiritalia, & Sempiterna erectos eſſe dignoſcamus*, inquit Auguſtinus *lib.* 1. *de Gen. contra Manich.* Ipſius exiſtentia omnibus praeſto eſt; quin & eam in dubium revocantes, dubitando egregie profitentur, ita ut majori certitudine de mentis, quam de corporis exiſtentia convincantur; idem Auguſtinus *lib.* 11. *de Civ. cap.* 26., & 2. *de lib. arb. cap.* 3. Rationalis animus nec pars eſt Divinae Subſtantiae, nec ab intelligentiis domina-

Digitized by Google

minatricibus, nec ab initio mundi extra corpus, nec per virtutem ſeminalem productus fuit, nec in terrenum carcerem ob crimina detruſus; a Deo ſolo creantur Mentes noſtrae, & creatae, quoniam verae formae corporum ſunt, delectabili conjugio deſtinatis corporibus conjunguntur, imaginemque Dei, ac ſimilitudinem (Proh eximium Creatoris Donum!) prae aliis creaturis terram incolentibus, praeſeferunt. Non negarim tamen imaginem iſtam *deformatam admodum*, ut ait Auguſtinus *lib.* 2. *retractationum cap.* 24. propter peccatum in *Adamo, & in Poſteris permanſiſſe*. Omnium ſiquidem rerum ſcientia errori non obnoxia, perfecta affectuum, & praecipue effraenis concupiſcentiae ſubiectione, corporis immortalitate, habituali, & actuali gratia, a beneficentiſſimo Conditore donatus eſt Adam; prolem autem ſi perſeveraſſet *ſine ullo actu libidinis*, ait Auguſtinus, *lib.* 4. *contra Jul. cap.* 5. per carnalem copulam propagaſſet. A praeclariſſimis dotibus exciderunt poſteri; at duplici nihilominus indiſtinctaque intelligendi, & volendi facultate ſpoliati non ſunt; ideoque nec arbitrii libertate, quae voluntatis propria eſt; libertate inquam indifferentiae, ad meritum, & demeritum neceſſaria, quae revera quid pure paſſivum non eſt, cum ad ejus eſſentiam pertineat poſſe agere, & non agere, nequaquam poſſe peccare; quibus ex inſtituto demonſtratis, tum inſipientiſſimam Calvini conſecutio-

nem,

Digitized by Google

nem, Deum nimirum eſſe cauſſam effectricem peccati; cum alia innumera, quae ex doctrina Auguſtini congerunt abſurda Lutherani, Calviniani, Sociniani, Janſeniani, hoc loci abundantiſſime diſſolvimus. Chimericum prorſus eſt fingere in materie cogitationem, in qua ſita eſt mentis eſſentia, quae definitur *principium intelligendi, & volendi*, penitus incorporeum, ſimplex, & ſpiritale, & hac de cauſſa ingenerabile, incorruptibile, immortale, quemadmodum *Barbaris etiam perſuaſum fuiſſe* teſtatur Orig. *lib. 7. contra Celſum*; quicquid in oppoſitum Athei, aliique de Epicureorum grege ſtudeant cumulare. Quare & Pythagorae tranſmigratio, & Platonis animorum per ſydera excurſus, & ad priorem conditionem reditus, deridiculae fabellae ſunt, a Phyloſophorum placitis amandandae. Animae ſeparatae, quibus nihil luendum ſupereſt, etiam ante Judicii diem, intuitiva Dei viſione (qua nondum Enoch, & Elias fruuntur) non comprehenſiva, quam ſolum oppugnavit Chryſoſtomus, Lumine Gloriae ſuffultae, Eſſentiam Divinam Perſonas, & Attributa videbunt. Fictitium eſt millenariorum regnum a Cerintho inductum, cui nullo pacto ſunt obſequuti Ambroſius, Auguſtinus, Bernardus, & Joannes XXII., etiam ut privatus D.. Deum nullum videre, vidiſſe, aut oculis corporeis videre potuiſſe, manifeſte aſſeruit Auguſtinus.

Digitized by Google

EX PHYSICA.

XII.

R*Erum naturalium conſideratione erigimur, elatiores fieri videmur, humana deſpicimus*, ait Cic. lib. 2. Acad. qq. *cogitanteſque Supera, atque Coeleſtia, haec noſtra, ut exigua, & minima contemnimus*; quamobrem non immerito a Metaphyſicis ad Phyſicam ſermonem noſtrum convertimus. Phyſica, ſeu *Phyſiologia, ſcientia dicitur Naturae, rerum*, ſcilicet *corporearum, & ſenſibilium*, quae in hac totius orbis univerſitate comperiuntur; idcirco Phyſicus ab eodem Tullio *l.* 1. *de nat. Deor.* appellatur *ſpeculator, venatorque Naturae*; Phyſicae obiectum eſt corpus naturale, *quatenus naturale*, quatenus videlicet ſub ſe continet corpora quaecumque tum ſimplicia, & compoſita, cum viventia, & vita carentia, & ad motus, & quietis ſtatum idonea. Duobus generalibus axiomatibus innititur Phyſica, primum: *ex nihilo, nihil fit*, ſecundum: *unaquaeque res perſeverat in eo ſtatu, quem habet, donec ab extranea cauſſa ſatis potente deturbetur*: Ratio, & experimentum, potiſſima fundamenta ſunt, quorum uno deficiente, tota haec jucundiſſima ſcientia ſubvertitur. Illa Divinitus Adamum perfuſum fuiſſe, ex alibi dictis conſequitur; quicquid ſit de Sethi nepotibus, (de

qui-

Digitized by Google

quibus conſulatur doctiſſimus Huetius, in ſua Demonſtratione Evangelica). Sacrae Literae certiores nos faciunt, & Salomonem *ſuper lignis a cedro, uſque ad hyſopum, de jumentis volucribus, reptilibus*, ac *piſcibus diſſeruiſſe*; & Moyſen *in omni Ægyptiorum*, & Danielem *in omni Chaldaeorum ſapientia* praeclaros fuiſſe; Abrahamum tandem Arithmeticam, atque Aſtrologiam diu, liberaliterque Ægyptios docuiſſe. Prolixi nimium eſſemus, ſi ſectas omnes, earumque auctores, & origines hoc loci recenſere vellemus; inter illas inſigniores ſunt Jonica, Italica, Eleatica, Academica, Pyrrhonica, Cynica, Stoica, Epicurea, Peripatetica: A tam ſupervacaneo, & inutili labore abſtinere maluimus, quod de illis omnibus plurima, & quidem eruditiſſima Thomas Stanlejus, aliique non pauci horum temporum Scriptores, memoriae noſtrae prodiderint. Quare Phyſicam ipſam generalem ſtatim aggredimur, eamque totam tribus partibus abſolvimus. Agimus in prima de corpore phyſico generatim ſpectato, in ſecunda de primariis, in tertia de ſecundariis ejuſdem corporis affectionibus. Brevem poſtremo adnectimus appendicem, qua nonnulla expendimus, & celebriora, ex Mundi ſyſtemate, ac theoria Coelorum phoenomena.

Digitized by Google

XIII.

SIne aliqua extenſione corpus phyſicum concipi non poſſe, non eſt qui non videat. Quare ad illius eſſentiam pertinet extenſio poſitiva, quod etiam novit Auguſt. *lib. de quantitate animae c.* 5. *prius abs te quaero, utrum corpus putes eſſe, quod non habeat aliquam longitudinem, & profunditatem; ſi hoc demas corporibus, nec corpora eſſe, nec exiſtimari poſſunt*. At inde non fit, improbandam eſſe alterius extenſionis exiſtentiam, negative ſcilicet, & naturaliter penetrabilis, quae vacuum dicitur, & a melioris notae Philoſophis definiri ſolet: *ſpatium omni corpore deſtitutum*; vacuo enim rejecto, uti optime argumentatur Auguſt. *epiſt.* 187. nulla extarent corpora, quoniam nullibi extarent. *Spatia locorum tolle corporibus*, ait S. Doctor, *nuſquam erunt, & quia nuſquam erunt, nec erunt*. Deinde quonam pacto fieri, & explicari poſſet localis motus corporum univerſorum? perbelle Lucr. *l.* 1.

Principium quoniam cedendi nulla daret res,
Undique materies quoniam ſtipata fuiſſet.

Ejuſmodi vacuum diſſeminatum eſt, corporumq; particulis interjectum, nequaquam vero coacervatum; quantumvis etenim hoc Divinae Potentiae forte non repugnet, ejus tamen exiſtentia nullius eſt utilitatis, nulliuſq; in Univerſo neceſſitatis.

Cor-

Digitized by Google

Corpora quaecumque, compoſita eſſe, & ex aliis, ut ajunt, *principiata*, nullus ignorat; illorum autem exordia, iſta ſunt apud recentiores: *Mens*, *menſura*, *quies*, *motus*, *poſitura*, *figura*; *haec cum materie cunctarum exordia rerum*; duo ſubſtantialia, reliqua accidentaria. Mentis nomine Ideae Divinae intelliguntur, quas Sapientiſſimus omnium Artifex inſpexit in mundi creatione, & praeſto ſemper habet, dum alias creaturas ex nihilo producit, juxta illud Boetii *l.* 3. *conſol. metr.* 9.

Tu cuncta Superno
Ducis ab Exemplo pulchrum pulcherrimus ipſe
Mundum Mente gerens, ſimiliq; in imagine formans.

Initia igitur ſubſtantialia corporum eſſentialiter ſunt, particulae inſenſibiles, diverſo motu praeditae, primario dumtaxat extenſae, inſectiles, ita ut in alias minimiores ſubdividi nequeant. Hac ſententia medullitus introſpecta, facili negotio a primorum principiorum cenſu excluduntur, Atomi Gaſſendi, Elementa Chymicorum, particulae elementares Carteſii, nec non Peripateticorum materies prima, forma ſubſtantialis, & privatio, quantumvis haec ipſa ſyſtemata ex aliis capitibus repugnantia dignoſcantur: Carteſianum, quia fabuloſum; Gaſſendi, quia minus accuratum; Chymicorum, quia pro primis affert, quae in omni elemento extant; Peripateticorum tandem quia principia adſtruit Phyſico corpori conſtituendo prorſus inepta.

XIV.

DEfinitur motus localis, de quo praecipue ſermo noſter, *translatio ſucceſſiva corporis ex vicinia eorum quae illud immediate contingunt, & tanquam quieſcentia ſpectantur in viciniam aliorum*; locus quem deſerit corpus dicitur terminus *a quo*, locus quem acquirit, terminus *ad quem*. Ex his 1. liquet, motum eſſe corporis affectionem relativam; 2. ad motum ſufficere, corpus transferri ſecundum aliquas illius partes, non ſecundum totum, ut in rota circumacta; 3. rationem formalem motus ponendam eſſe in ſucceſſiva, ut ajunt ubicationum diverſitate, & eapropter quicumque motus localis abſolvi debet ſub inſtanti phyſico, nequaquam Mathematico; 4. naturaliter nullum corpus ad aliquam diſtantiam localiter moveri poſſe, niſi medium immediatum pertranſeat. Cum corpora quaecumque nil aliud intrinſecus contineant, quam inertiae vim pure paſſivam, conſtat ſuapte natura indifferenter ſe habere ad motum, & quietem; quare cauſſam extrinſecam exigunt, qua a ſtatu motus, ad ſtatum quietis, & a ſtatu quietis, ad ſtatum motus traducantur. Ex his omnibus conſtat, cauſſam iſtam aliud corpus eſſe non poſſe. Sed nec etiam mens creata omnino inextenſa, & finitae virtutis, corpori extenſo impetum, unde motus progredi-

tur

Digitized by Google

tur ſaltem proprie, ſi non occaſionaliter, valet impertiri. Solus itaque Deus cauſſa erit motus, ſicuti & ipſe ſolus revera eſt *principium motus, & quietis*, & idcirco a Seneca *natura* illa vocatur, *quae mundum contineat, ac tueatur, & natura creatrix*, nedum a S. Aguſt. *l.* 5. *de Trin. c.* 1., verum & a Tullio *l.* 2. *de Natura Deorum*. Impetus a quo motus incipit, tamdiu perſeverat, quamdiu ab extrinſeco agente penitus deſtruitur, ac per conſequens, ſi extaret vacuum magnum neceſſum foret, ut indeſinenter motus in illo perageretur; quo argumento praemiſſo, innumeris aliis poſthabitis, motus perpetuitas improbatur. Corpus illud velociter moveri dicitur, quod magnum ſpatium exiguo tempore praetergreditur, illud tarde cieri, quod longiore tempore ſpatium exiguum abſolvit; Hinc corpus alio velocius nominatur, ſi eadem duratione temporis, majus ſpatium, vel aequale, minore duratione tranſiliat. Sequentia inde corollaria inferunt recentiſſimi Philoſophi; *primum*, velocitates motuum duorum corporum inter ſe comparandas eſſe in ratione directa ſpatiorum, ſi aequalia ſint temporum intervalla; *ſecundum*, velocitates eorum ſe habere in ratione temporum inverſa, ſi ſpatia, quae a corporibus percurruntur, ſint aequalia inter ſe; *tertium*, velocitates componi ex ratione directa ſpatiorum, & inverſa temporum, ſi ſpatia, & tempora inter ſe ſint inaequalia.

Digitized by Google

X V.

CUm Sapientiſſimus Mundi Artifex opus ſuum a luce inchoarit, lucem ſubſtantiam eſſe nullus valet inficiari; id etenim præ aliis noverunt Theodoretus *in c. 7. Gen.*, & Auguſtinus *l. 3. de lib. arb. c. 3.*, & innumeris conſtat argumentis, tum propter refractionem radiorum in priſmate, tum propter aequalitatem angulorum reflexionis, & incidentiae. Admittere pariter cogimur materiem quamdam aetheream ſubtiliſſimam ſumme fluidam, uſque ad terrae centrum per immenſa Coelorum ſpatia diffuſam, quae univerſorum motuum naturalium quodammodo cauſſa eſt, & praecipuum inſtrumentum. Hujuſce materiei rectilinea preſſione, & per globulos perniciſſima uſque ad nos agitatione lux propagatur; & ſatis apertum fit, cur corpus opacum, lucidum evadat, quod ſcilicet ſubtiliores illius partes motum perturbatum concipiant. Mirum profecto, quam varie ſenſerint Philoſophi emunctiſſimi in colorum natura aſſequenda. Si omnium hypotheſes ad trutinam revocare velimus, inſignes offendemus difficultates; neque enim colores entitatibus Peripateticorum abſolutis adſcribendi ſunt jamdiu a ſchola eliminatis, nec eorum geneſis apte deſcribitur motu recto, & circulari globulorum ſecundi elementi Carteſii, nec primitivi colores agno-

Digitized by Google

agnoſcendi ſunt, quibus diſtinguantur radiorum manipuli, quorum alii magis, alii minus refringuntur, & refractione ſeparantur, ut compertum fuit clariſſimo Neutono; nec tandem placet illorum opinio, qui putant, colores univerſos, tum variantes, cum permanentes, nil aliud prorſus eſſe, quam lucem tenebroſo velo obductam, vel umbram luminoſa ſuperficie contectam. Sed phoenomena omnia, quae in hac re ſe ſe offerunt, declarantur uberrime, ſi cum doctiſſimis Boileo, Malebranchio, & Fabro tueamur, colorum indolem, & permanentium, & variantium ad variam, & reſpectivam lucis modificationem, ſeu mixtionem quamdam lucis, & umbrae eſſe referendam; ea tamen lege, ut coloris ſubeundi quoddam quaſi fundamentum ipſius obiecti textura ſit, quod pro ut varie lumine perfunditur, & afficitur, varie coloratum apparet. Hoc loci opportune congerimus principia illa, quae ad oculi explorandam ſtructuram, & viſionis modum ſtabiliendum facilius perducunt. Quamobrem ſpecierum vulgo intentionalium nativitatem, propagationem, incredibilem viam improbamus, & in *retina*, quae ſcaturigo quaedam eſt *nervi optici*, & *calloſae* ſubſtantiae cerebri, in qua praecipuam ſedem habet animus noſter, immediate conjungitur, in *retina* inquam, non *in humore cryſtallino*, non in *choroide*, non in *ſclerotica* viſionem fieri contendimus.

mus. Cumque tripliciter contingat viſio, directe nimirum, reflexe, & refracte, leges ſpeciebus iſtis viſionum accommodatas tradimus, Opticam, Catoptricam, & Dioptricam clariore qua poſſumus methodo excribentes.

XVI.

EA, quae ad organum auditus pertinent aggredimur pertractanda. Ejuſmodi ſenſatio, *non in aere innato, non in tympano, ſed in fibrillis auditorii* excitatur, quae ex molliori ramo nervorum *ſeptimae conjugationis* propagatae, immediate cerebro adhaerent, & *cochleae, & labirynthi* partibus ſuperextenduntur. Inde autem habetur ſonus, quod exiguae partes ſonori corporis tremula vibratione cieantur; inde diffunditur, quod tremor ſonori per intermedium aerem aures percutiat, & ſonori oſcillantes fibrae tam celeriter circumambientem aerem premant, ut nequeat hic, ſe ſe ad latera recipiendo, ictus vibrationem eludere. Calor perperam definitur, qualitas prima *homogenea congregans, & diſgregans heterogenea*; perperam frigus, qualitas *congregans homogenea, aeque ac heterogenea*; graviſſimis enim momentis, nugis iſtis, univerſi noſtri temporis valedicunt Philoſophi. Quare cum praeclariſſimo Malebranchio, aliiſque non paucis, *ita calorem igni*

con-

Digitized by Google

concedimus, ſicuti acu dolorem; nam proprie calor ea ſenſatio cenſenda, qua propter particularum, puta ignearum, agitationem organum afficitur; ita proportione ſervata loquendum de frigore. Calor igitur quatenus pertinet ad obiectum, nil aliud eſt, quam velox, perturbatus, & expanſivus motus partium ſubtilium corporis, quod dicitur incaleſcere; Et quemadmodum quies eſt ceſſatio motus, ita & frigus paſſive ſumptum, praeſertim in corporibus ſentientibus, perturbati motus ſubtilium particularum defectus, & privatio eſt, aut ſaltem imminutio; egregie etenim inquit Auguſtinus *l. 3. de Gen. ad litt. cum corpus frigeſcit, motus pigreſcit, quod ex calore ineſt corpori*: ſi active tamen conſideretur frigoris cauſſa (melius occaſio) proculdubio ſunt res poſitivae; at ſi de vi frigorifera, & immediata illarum occaſionum, vel de activo frigore inquiratur, vis haec, ut notant Sturmius, & Perraltius, actio vera, & realis non eſt, ſed quies potius, & caloris privatio, maxime ſi ſermo ſit de ordinariis effectibus frigoris remiſſioris; at violenti, extraordinarii, intenſioriſq; frigoris effectus, a caloris defectu occaſionaliter dumtaxat, nequaquam effective proveniunt.

EX

Digitized by Google

XVII.

COElum determinatam figuram non habet, in diſtinctos orbes non dividitur, ab intelligentia motrice minime regitur, nec anima ratiocinante, aut ſentiente, aut vegetante informatur. Coeli materies (ne dum excluſo firmamento) aer eſt ſubtiliſſimus, fluidiſſimus, generationibus, & corruptionibus obnoxius, ut ex maculis ſolaribus licet conicere, quae nec ſunt Teleſcopii ludibria, nec vapores in atmoſphaera elevati, nec planetae radiis ſolaribus obvoluti, ſed ſunt craſſiores quaedam Solis partes, quae vi ſubtilioris, agitataeque materiei a centro, ad circumferentiam deferuntur, ibique in opacam molem, quouſque diſſolvantur, & aliae forte ibidem aggenerentur, concreſcunt. Sol igneam praeſefert naturam; de ipſius magnitudine varia admodum proferunt Aſtronomi; Terra longe majorem eſſe liquet, tum ex quo umbra terrae breviſſima, ad ſolam Lunam perveniens, conum exhibeat, non cylindrum; tum ex quo frequentiſſime terminetur, nec perpetuas efficiat fixarum, & planetarum eclypſes. Probabilius eſt, in centro planetarum illum extare; at cum propter ingentem a terra diſtantiam, veram parallaxim

xim altitudinis Solis aſſequi non poſſimus, de hoc aliquid certi aſſerere non audemus. Triplicem in Sole motum deprhendi omnes norunt Aſtronomi, *vertiginis* circa proprium centrum, *diurnum*, & *annuum*: Et cum Sol per curvam ſpiralem, non ſecus ac alii planetae ex ortu in occaſum, ſuos motus peragere intelligatur, plane conſequitur, ut contrarii motus ex ortu in occaſum prope Aequatorem, & ab occaſu in ortum ſub Ecliptica in ipſo appareant, & revera non extent. Phoenomena cuncta Solis, & aliorum planetarum, ad Aſtronomiam pertinentia, cum ſyſtemate Copernicano mirifice congruunt; at cum Scripturae teſtimoniis apertiſſime reluctetur, cumque palmaribus abſurdis, undique ſcateat ſyſtema Ptolemaicum, ambigendum non eſt, quin illis praeſtet, Tichonis ſyſtema, quod inverſio quaedam eſt ſyſtematis Copernicani, ipſiuſque apta moderatio. Luna corpus eſt ſolidum, denſum, globoſum, omni lumine, & calore ſe ipſo deſtitutum, Solis lucem quoquo verſum remittens, cavitatibus, & prominentiis conſitum, aſpera, & inaequali ſuperficie comprehenſum, unde maculae, & alia generatim Lunae Phoenomena explicantur. Lunares populi ſomniantium potius, & in vera religione nutantium animorum, deliramenta ſunt, quam aequae, ac probabiles Philoſophorum opiniones.

PRO-

Digitized by Google

PROPOSITIONES THEOLOGICAE
DE SS. TRINITATE.

XVIII.

TRinitatis Myſterium citra Fidei auxilium cognoſci, & demonſtrari nequit, quare arbitramur Gentilibus, nequidem Philoſophis, innotuiſſe; at cum pluribus in locis Teſtamenti veteris adumbretur, praecipue *c.* 1. *Gen. v.* 1., *&* 26. *c.* 3. 19. *& Pſalmis* 11. 32. 109., Patriarchis, & Prophetis ſub antiqua Lege nequaquam Judaeorum vulgo revelatum fuiſſe, rationi, atque authoritati eſt valde conſentaneum; Verum clariora de Sanctiſſima Trinitate teſtimonia in novo Teſtamento leguntur; omnium luculentior eſt *verſus 7. c.* 5. *Ep.* 1. S. Johannis, qui adſcititius non eſt, aut Catholicorum dolo, & oſcitantia ex margine, ac ſcholiis intruſus; ſed germanus, & a Tertulliano, Cipriano, Fulgentio, aliiſque innumeris PP. laudatus. Ex hoc praeclariſſimo loco aperte oſtenditur contra Sabellium, Paullum Samoſatenum, & Judaeos, realis Perſonarum diſtinctio, quam perpetua traditione univerſi PP. agnoverunt. Myſterium hoc, humanam rationem proculdubio ſuperat, ſed cum de ipſius revelatione conſtet, non ſequitur vel eſſe impoſſibile, vel ſe ipſum evertere, ut Sociniani fabulan-

lantur. Unica eſt in tribus Perſonis Divina Natura, ac eapropter tum Verbum, cum Spiritus Sanctus, ſunt Patri Conſubſtantiales. Verbum ante quam carnem e Virgine ſumeret, in aliqua ſubſtantia praeexiſtebat, Dei reapſe Filius, Natura, & Generatione, nequaquam adoptione, & gratia. Chriſtum Dominum Patri coaeternum eſſe, eamdemque habere cum Genitore Naturam, tum ex Nomine, Attributis, & Operibus Dei, quae Filio in Scriptura tribuuntur, cum etiam conſequitur ex perfecta ipſius aequalitate cum Patre. PP. antenicaeni, & Catholica Eccleſia, ab Apoſtolis uſque, Verbi Divinitatem, & Conſubſtantialitatem confeſſi ſunt, quin etiam Chriſti Divinitas, unum eſt ex praecipuis articulis, ad ſalutem aeternam aſſequendam neceſſariis; neq; illam oppugnarunt unquam S. Baſilius Magnus, & S. Athanaſius, cujus genuinus foetus, non eſt Symbolum, ipſi vulgo adſcriptum, Nicaena Synodus, Patreſq; illa poſteriores in Verbi Divinitatem conſenſerunt. Primae Syrmienſi formulae, non ſecundae, aut tertiae ſubſcripſit Liberius, ideoque Arianus non eſt cenſendus cum Hoſio Cordubenſi, qui uſque ad exitum, in Ariana perfidia non perſeveravit. Filius a Patre per Intellectum, Spiritus Sanctus a Patre, & Filio per Voluntatem procedit, quare Symbolo Conſtantinopolitano merito addita eſt particula *Filioque*. A Filio Spiritus non diſtingueretur, niſi a Filio procederet.

DE

Digitized by Google

XIX.

VErbum Divinum, humanam Carnem, non quidem apparentem, aeream, & phantaſticam; ſed veram, & realem in Utero Virginis aſſumpſiſſe, certiſſimum eſt; ipſumque verum eſſe Meſſiam a veteribus Patriarchis expectatum, ut apertiſſime inſinuant, Jacobi vaticinium *Gen. c.* 49. *v.* 10., & Danielis oraculum *c.* 9. *v.* 24. Danielis hebdomadae, nec a 12., aut 19. Nabuchodonoſoris anno, nec a primo Cyri, nec a 2. Darii Hyſtaſpidis, (quem parum accurate Scaliger Nothum putavit), nec a 20. Artaxerſis Mnemonis ſumunt exordium; nec eapropter completae ſunt, aut in excidio ſecundi Templi, aut in Hircano Ariſtobuli filio, per Antigonum expulſo, aut in Agrippa, tribus annis ante ſecundi Templi excidium e vivis erepto. A ſeptimo igitur anno, nequaquam 20. Artaxerſis Longimani, hebdomadarum ſeries repetenda eſt, tum propter decretum a Perſarum Rege de reaedificanda Urbe Jeruſalem Eſdrae conceſſum, tum propter 29. annum Æ. V., quo mortuus eſt Chriſtus, tum tandem propter hebdomadas Sabbaticas, in quarum ultima Chriſtus, pactum confirmavit, & in illius medio affixus eſt Cruci, quae omnia noſtrae chronologiae optime cohaerent.

Cae-

Caeterum clariſſimo, & genuino Joſephi de Jeſu Nazareno teſtimonio, *lib.* 18. *antiquit. c.* 4., pleniſſime confunditur Judaeorum perfidia. Chriſti veri Meſſiae Fides, inſignibus ipſius miraculis, & admirabili reſurrectione; illuſtrium virorum Chriſtiani nominis hoſtium conſenſu; religionis denique excellentia, & ſanctitate, contra Gentiles manifeſte confirmatur. Abſque ope virilis ſeminis, ex Materna Carne Corpus ſuum traduxit Chriſtus; unicam nihilominus Divinam in ipſo agnoſcimus Perſonam, qua Filius Dei eſt Naturalis, nequaquam adoptivus, aut proprius, etiam ut Homo; ideoque vere *Deipara* Beatiſſima Virgo eſt praedicanda. Apollinaris impietati nunquam ſubſcripſit S. Cyrillus Alexandrinus. Juremerito tria capitula damnata fuerunt *collat.* 4. *Synodi* 5. *generalis*. Duae extant in Chriſto, in eadem Perſona, non permixtae, ſed invicem diſtinctae, phyſica unitione copulatae, Divina, & Humana Natura; duae pariter Voluntates, & Operationes. In ſuis ad Sergium epiſtolis Monothelitarum errorem ſequutus non eſt Honorius primus, ſicuti nec idolis thus obtulit Marcellinus. Chriſtus Dominus non methaphorice exemplo, & praedicatione, ſed vere, ſoluto pretio, condigno quidem, & rigoroſo, redemit nos a captivitate, mortem perferendo, poenaſque noſtras luendo; opus miſericordia plenum, Deoque digniſſimum; ad rigidiores juſtitiae le-

Digitized by Google

leges aequivalenter, & ſuperabundanter ſatisfecit, cui ſatisfactioni impotens prorſus erat pura creatura, etiamſi gratuitis donis, & meritis cumulata. Impeccabilis utique fuit virtute Unionis Hypoſtaticae; at non idcirco a corporis doloribus, & animi naturali triſtitia (prout haec ordinem ſervat cum rationis rectitudine, & cum pleniſſimo voluntatis arbitrio) liberatus. Chriſtus Sacerdos fuit ſecundum ordinem Melchiſedech in oblatione Panis, & Vini praefiguratus; Obtulit ſemetipſum in Ara Crucis anno aetatis ſuae 33., octavo Kal. Aprilis, feria ſexta,. horá ſexta; Mediator noſter ſecundum utramque Naturam; neque huic Mediationi officit Sanctorum, qui pro nobis in Coelis orant, invocatio, quae illicita non eſt, ſed pia, & juremerito laudanda. Crucis ſacrificio, ut docet Trid. *ſeſs.* 22. *cap.* 2. ſucceſſit Sacrificium Euchariſtiae, Paſſionis Chriſti rememorativum, qui Apoſtolis, & Eccleſiae univerſae, Euchariſtiam offerens, praecepit, ut idem Sacrificium Patri litarent, non improprium, non *latreuticum* tantum, *ſed propitiatorium, & impetratorium*, quod eapropter pro vivis animis, & purgantibus rite offerri poteſt, nequaquam pro damnatis, & juſtis coeleſtem Patriam incolentibus. Nedum Euchariſtia, verum & Chriſti Humanitas adoranda eſt *Latriae* cultu abſoluto, Crux reſpectivo; Deipara *Hyperduliae*, reliqui ſancti cultu *Duliae*.

DE

XX.

FAlſo evulgant Calvinus, & Melancton, S. Auguſtinum duo tantum agnoviſſe novae Legis Sacramenta; ſeptem ſunt apud omnes Orthodoxos, nec plura, nec pauciora. Sacramentum penes Bellarminum definitur a Cathechiſmo, *res ſenſibus ſubiecta, quae ex Dei inſtitutione ſanctitatis, & juſtitiae, tum ſignificandae, cum efficiendae vim habet*; quamobrem egregie decipiuntur Novatores omnes, qui vim effectricem gratiae Sacramentis adimunt, quae illorum eſt praecipuum munus, & nota peculiaris. Non ad ſolos Abrahae filios diſcernendos inſtituta fuit Circumciſio, ſed etiam ad peccatum originale delendum, ut, omnium DD. opinionibus rite penſatis, erudite affirmat Benedictus XIV. Sacramenta, juxta Florentini definitionem *conſtant rebus tanquam materie, verbis* (minime concionatoriis, ſed conſecratoriis) *tanquam forma, & perſona Miniſtri conferentis, cum intentione faciendi, quod facit Eccleſia*; quae intentio effectus eſſe non debet, qui a Miniſtro non pendet, dummodo hic, ſaltem virtualiter, in animo habeat (non mimice, & irriſorie) ſed vere, ac ſerio id agere, quod in Eccleſia Chriſti fieri ſolet. Valide, non licite Sacramenta confert Miniſter, quantumvis im-

Digitized by Google

improbus, & infidelis. Tria ſunt Sacramenta immutabilem, animoque inhaerentem Characterem imprimentia, quae iterari non poſſunt, Baptiſmus, Confirmatio, & Ordo.

XXI.

Myſticae ceremoniae, Apoſtolica traditione derivatae, omitti nequeunt, aut immutari in ſolemni Baptiſmatis adminiſtratione. Aqua naturalis hujus Sacramenti materies eſt, nullo pacto artificialis. In Baptiſmi forma nedum innui debet actus Baptizantis, verum & fieri expreſſa mentio Trinitatis, ſine qua nunquam invaluit ab Apoſtolis uſque Baptiſmus. Infidelium infantes invitis parentibus baptizari non debent: ſed nec etiam rebaptizari, eſto id ſenſerint de puellulis ab haereticis baptizatis Ciprianus, Firmilianus, & forte etiam Baſilius Magnus, nequaquam Athanaſius, & Cyrillus Jeroſolym.. Confirmatio eſt verum novae Legis Sacramentum a Chriſto Domino poſt Reſurrectionem inſtitutum, cujus ſolus Epiſcopus eſt ordinarius Miniſter; Extraordinarius quilibet Sacerdos ex Summi tamen Pontificis diſpenſatione. Confirmationis adaequata materies, fuerunt conſtanter, & ſunt Manuum Impoſitio, & Chriſmatis Unctio: Forma ſunt verba Unctionem comitantia; *Signo te Signo Crucis, &c.*

Ordo

Ordo verum Evangelicae legis Sacramentum eſt. Septem ab initio in Eccleſia Latina extiterunt Ordines; quos inter Subdiaconatus, Diaconatus, Presbyteratus, Epiſcopatus veri nominis Sacramenta cenſenda. Pertinent Epiſcopi ad intimam cujuſque Eccleſiae conſtitutionem; jure divino, ut multis oſtendit Scriptura, Prebsyteris, dignitate, atque auctoritate ſuperiores. Valida ſemper fuit apud Catholicos ordinatio in Eccleſia, juxta ritus a Chriſto inſtitutos, quin & certitudine Fidei tenendum eſt, illam, valere, etiamſi extra Eccleſiam conferatur. Romanus Pontifex in rebus, & ad Fidem, & ad mores ſpectantibus, & in facto dogmatico nunquam fallibilis, *Petri*, Romae emortui, legitimus eſt in Primatu Succeſſor.

XXII.

LUna 14., menſis Niſan exeunte, non ineunte, Paſcha celebrabant Judaei, quare Agnum Paſchalem eadem die, in ultima Coena comedit, legiſque praeſcriptum ſervavit, & eapropter in Azymo, (cujus perpetuus uſus fuit ab Apoſtolis apud Latinos) Chriſtus Dominus conſecravit. Nullus ante ſaeculum 9. praeſentiam realem Chriſti ſub ſpeciebus oppugnavit, nulluſque a 9. ad 11. alicui errori in hac re fidenter adhaeſit, nec uſque ad 16. ulla haereticorum eccleſia, ſemet-
ipſos

Digitized by Google

ipſos invicem confodientium, in errorem conſenſit. Jure igitur merito Catholica Eccleſia, perpetua traditione confitetur, deſtructis penitus panis, & vini ſubſtantiis, vere, ac realiter, non figurate, ſub ſpeciebus Chriſti Corpus, & Sanguinem exiſtere, Divinitati coniunctum.

Honeſtum, licitumque eſt Matrimonium, Divina inſtitutione veri nominis Sacramentum, cui conſtituendo neceſſaria non eſt carnis commixtio, aut de carnis commixtione conſenſio. Immane, inauditumque flagitium eſt Polygamia ſimultanea virorum, non ſucceſſiva, quae nullo jure prohibetur; ſimultanea etiam Polygamia mulierum, nedum juri Evangelico, verum & juri naturali adverſatur. Probabile eſt Parochum legitimum eſſe Matrimonii Miniſtrum, cujus judicium, diſpenſatio, & impedimentorum appoſitio, Eccleſiae omnino eſt, nequaquam Principum laicorum, aut Magiſtratuum. Adulterio, & fornicatione non ſolvitur Matrimonii vinculum, quod profeſſione religioſa, poſt duos menſes, evertitur, dummodo ratum ſit, non conſummatum.

Publicae objicientur Diſputationi Id. Octob. Anno MDCCXLVII. *in Ædibus* SANCTI CAROLI.

PA-

Digitized by Google

PAdre, Signor, *ſe a Raggi Tuoi l' ardita*
Mia muſa osò levar l' egre facelle,
Se i vanni alzai dalla palude avita
Mal noto augello alle ſublimi ſtelle,

Chieggo al fallo mercè: L' *oſcura vita*
Condurrò ſol penſando alle Tue belle
Immortali Virtù; mie rozze dita
Neghin pur Benedetto *al plettro imbelle.*

Te *tacerò; ma* Tu *concedi al mio*
Eſtro, che i Tuoi Fulgori ardente fero,
Innocenzo, Leon, Clemente, e Pio.

Io Te *allor canterò, che al Tuo Penſiero*
L' *Auguſto Genio lor aggiunſe DIO,*
Genio di ſaggio Amor, di dolce Impero.

99 933753

Digitized by Google